

D. F. G.

HISTORIOLA
CONCIONUM SACRARUM
FENNICARUM,

Cujus
PARTEM PRIOREM,

CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH. IN REG.
ACADEMIA ABOËNSI.

PRÆSIDE

MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQV. ET PoëS. PROFESS. REG. ET ORD.

Publice ventilandam sifit

ERICUS TULINDBERG,

Ostrobothniensis,

In AUDITORIO MAJORI Die IV. Aprilis
An MDCCCLXXXI.

H. A. M. C.

A B O Æ,
Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.

KONGL. MAJ:TS
TRO-MAN OCH ÖFVERSTE LIEUTENANT, SAMT
RIDDARE AF KONGL. SVÅRDS ORDEN
VÅLBORNE
HERR CARL MAURITZ
VON GERTTEN.

KONGL. MAJ:TS
TRO-TJENARE OCH CAPITAIN SAMT RIDDARE AF
KONGL. SVÅRDS ORDEN
VÅLBORNE
HERR FREDRIK
VON SCHOULTZ.

Tillåten mig Vördade Gynnare, at med Edra värda namn få pryda dessa blad; det sker af den upriktigaste nit, at tillika få offenteligen förklara den liffiga erkänsla emot bevista vålgårningar, och den beständiga vördnad hvarmed jag framleffver

HERR ÖFVERSTE LIEUTENANTENS OCH RIDDARENS
SAMT
HERR CAPITAINS OCH RIDDARENS

Ödmjukafte Tjenare
ERIK TULINDBERG.

KONGL. MAF:TS
TRO-TJENARE OCH LANDS CAMERERARE
VÅLÄDLE

HERR ERIK TULINDBERG,
SAMT
DYGDÅDLA
FRU CHRISTINA BEATA
TULINDBERG
FÖDD
CARLBORG.

MINE HULDÄSTE FÖRÅLDRAR!

Jag upoffrar Eder Huldaste Föråldrar dessa blad, såsom den första frukten af Eder ömhet och outtrötteliga omförsorg för min välfärd. Om de tillika upptagas såsom et välmänt, eburu otiträckeligt prof af den lifligaste tacksamhet bvaraf mit hjerta är intagit emot Eder oförtjenta godhet; så är min önskan upfylld: då min oförmögenhet förbjuder mig, at än tänka på något annat vedermåle deraf. Min skyldigbet ålägger mig endast, at härtil foga de upriktigaste böner til Almakten för Edert väl, som af det varmaste hjerta skola upsändas, til des döden betager mig den ofskattbara lyckan at kalla mig

EDER

Ödmjuklydigste Son
ERIK TULINDBERG.

Conspectus totius Opusculi.

- §. I. De initiis Religionis Christianæ in Finlandia atque de *S:ti Henrici* in ea re opera.
- §. 2. De Concionibus Sacris in Fennia ante Reformationem Religionis.
- §. 3. De mutata earum indole per Reformationem, deque Concionibus Sec. XVI.
- §. 4. De Concionibus Sacris Fennicis, quæ Sec. XVII lucem adspexerunt.
- §. 5. De subsidiis Oratoriæ S. Fennicæ hoc Seculo suppeditatis.
- §. 6. De Statu & Speciminibus Oratoriæ S. Fennicæ Sec. XVIII.
- §. 7. Monita quædam Oratoribus Sacris Fennicis exhibita.

§. I.



§. I.

Nullum est dubium, quin initia Religionis Christianæ in Finlandia propagatae, ab expeditione Regis Sveciæ ERICI Sancti in has oras suscepta, præcipue repetenda sint; quanquam haud incredibile videtur, tenuem aliquam ejus cognitionem jani ante ibidem exstitisse (a). Adscivit Rex hujus expe-

A ditio-

(a) Si MESSENIO fides habenda est, Carelii, qui ut ille opinatur, sub dominio Russorum erant, quam hi profitebantur Religionem, Græcam scilicet, diu jam ante receperant; vid. ejus *Chronicon Finlandæ Rhythmicum*, (Aboæ 1774, 8:o) pag. 14. Parum vero hoc verosimile videtur. Quamvis enim Careliis cum Russis paullo maturius quam cum Svecis rem fuisse, improbabile haud ducimus, sui tamen juris ac a Religione Christiana alienos diu etiam postea mansisse, certum putamus. Vid. Nobiliſſ. LAGERBRING *Swea Rikes Historia*, del 2. pag. 671. Cfr. MÜLLERS *Samlung Russischer Geschichte*, x. 3: 5. D. 6. St. p. 297, 402, 419. Potuit alioquin per famam & culta cum vicinis commercia, ut in *Dissert. de*

ditionis Comitem HENRICUM, Episcopum illo tempore Upsaliensem, eo consilio, ut hic Fennos Religionis Christianæ notitia imbueret, & baptismi sacramento nova membra; nomine saltem tenus, cœtui Christiano acquireret. Cum itaque brevem instuerimus Historiam Litterariam Concionum Sacram Fennica Lingva habitarum editarumque contexere, ab ipso quidem hoc primo ut vocari solet *Fennorum Apostolo*, seriem dicendorum ducere deberemus; si quomodo ille concionatus fit, ab ullo reperiremus scripto-

S:to Henrico dicitur, (quam Præf. Cel. SCARIN, hic Aboæ edidit MATTH. FONTELIUS, a. 1737, 4:to) P. 1. p. 1. religio Christiana nonnullis Finlandiæ incolis qualitercumque innotuisse. Nec vero repugnamus, si quis a vicinis etjam Russis aliquam hujusmodi obscuram Christianismi notitiam ad nonnullos homines Fennos pervenisse, contendat. Vox *Pappi*, (Sacerdos) Svecis haud familiaris, a Russico *Pop* ad nos transiisse, non absurdè statuitur; ut & vocabulum *Kaamattu*, quod nostratisbus *Biblia* significat, a Græco *Ιερωνύμος* (Scil *ięza*) forte derivandum, (more nostris solenni, priorem consonam abjiciendi, accedente) videri poterit ad acceptam a Græcis, potius quam a Latinis primam rei cognitionem, deducere. Ac vellemus, ut aliquis Lingvæ Russicæ vel veteris Sclavonicæ peritus, dispiceret, utrum originem etjam vocum Fennicarum *Kiria*, *Liber*, *Epistola*, (an a Græco *κυριος*, *κυριακης*?) & *Saarna* (Oratio Sacra) ex iis adferre valeant; quas Latinae & Svecicæ Lingvæ, ut pleraque alia vocabula Ecclesiastica, non sane debemus.

*) 3 (*

scriptore memoriæ proditum, aut ex ullis monumen-
tis, eruere possemus. Nunc autem, ne affirmare qui-
dem audemus, eum Lingvam omnino Fennicam ad-
didicisse & calluisse (*b*); ac ignotum quoque nobis
est, quam peritos in rudi gente docenda repererit ad-
hibueritve interpretes. Licet igitur non mediocri-
bus, zelum ejus indefessum in hac sparta ornanda,
laudibus, Panegyristæ sui extollant (*c*); certum ta-
men videtur, vim atque metum armorum Svecico-

A 2 rum,

(*b*) Ut taceam, vix eum spatii otiique satis habuis-
se, ad Fennicam Lingvam descendam, nec ulla hujus pe-
nitiaz adsunt vestigia. B. AGRICOLA in Præfatione N.
Testamenti Fennice a se editi (Stockh. 1548, 4:to), in-
dicare videtur, imperitiam hanc Lingvæ Fennicæ in caus-
sa etjam fuisse, cur HENRICUS noster absconum apud
nos morem introduxerit, cultum Divinum latino sermone
celebrandi; licet simul fateatur, commune hoc fuisse Roma-
næ Ecclesiæ peccatum. Verba ejus sunt: Ja ette hen
(S. Henricus) oli Engelandist sughunen, senteden mōs aina
sijste tehenasti, omhi tehe hijppacunnasa nijnquin muisaki, La-
tinan kicsi Kircoisa, Seuracunnisa, ia Jumalan paluelupes
alati ja enimitten prucatu ia harioitetu; h. e. Et quod ille
(S. Henricus) in Anglia natus esset, ideo etjam semper ab
eo tempore, bucusque, in bac Diæcesi, sicut etjam in aliis,
Latina Lingva in Templis, Ecclesiis & cultu Divino, ad-
biberi solita fuit.

(*c*) Vid. VASTOVIVS *Vit. Aquilon.* (ed. BENZELII)
pag. 62, 63, & BENZELII *Monumenta Vet. Eccles. Sveog.*
part. I, p. 34.

rum, validius fuisse argumentum, quod Fennos ad profitendum Christianismum permoveret, quam conciones *Sandi HENRICI*. Testatur id Historia (*d*), & confirmat temporis mos; quippe qui is erat, ut homines, tenui vel nulla fere institutione præmissa, violenter cogerentur ad Religionem superstitione jam atque commentis humanis pollutam, amplectendam, (s. verius caerimonias ejus ac ritus imitandos), de cuius itaque placitis parum sibi constaret; quam qui recipere nollent, morte digni ducebantur. Ipsum quoque nostrum HENRICUM, eam patientiam, mansuetudinem, prudentiam non adhibuisse, nec eam rationem veritatis propagandæ fecutum esse, quam Religio Christiana commendet, & quæ necessaria fit, ad homines pio veræ Religionis sensu imbuendos, docet Historia cædis suæ; quam intempestivo rigore sibi accelerasse, quotquot res ejus attigerunt Auctores, indicant (*e*).

§. II.

(*d*) Vid. VASTOVIUS loc. cit. & in primis LAGERBRING Swea Rikes Historia, Del 2, p. 155. seq. Codicemque ibidem citatum Membranaceum, cuius hæc sunt verba: Tha sunnadhe han (S. Erik) saman hår, oc tol met sit aff Uppsala Kirkis S:tum Henricum, oc for til Finlandz, oc stridde oc drap alla thom som ej wildo taka vidh råttuso oc råtte troo. Cfr. quæ habet Auctor nobiliss. ibid. p. 672.

(*e*) Eum justo severius tractavisse gentem adhuc ferocem, indicant plures Historici, ut VASTOVIUS loc.

§. II.

Infelix fuit subsequentibus temporibus, quamdiu in totum a placitis Pontificum Romanorum pendebat Religio, ejus in Finlandia nostra status; atque ipsa gens, quamvis quoad nomen Christiana, crassissimis tenebris immersa. Conciones tamen eo intervallo non prorsus inauditas fuisse, indicat VASTOVIUS, l. c. p. 74. seq. & p. 89. seq. priori loco docens THOMAM Episc. Aboensem verbo, *exemplaque instillavisse fidem;* & posteriori HEMMINGUM, item Ep. Ab. propter miram laudans ejus *in concionando efficaciam, qua dissolutos arguendo, pios obsecrando felicissime permovit, -- multos peccatorum oppressos veterno, excitavit in salutem (a).* Ut autem taceamus, raras eas saltim fuisse (b), certum fere videatur, non multum notitiae vel emolumenti ex illis ad auditores redundare potuisse: continebant enim prope nihil aliud, quam laudes Beatæ Virginis (c), le-

A 3

gen-

cit. BAAZIUS *Inventar. Eccles. Sviogoth.* Lib. I, Cap. X,
p. 117. ÖRNHJÄLM *Hist. Eccles. Svec.* Lib. IV. C. 4. 9,
10. LAGERBRING l. c. pag. 256, aliquie.

(a) De THOMA vid. etiam LAGERBRING Tom
2. p. 237, & de HEMMINGO Tom. 3. p. 652, seqq.

(b) Cfr. LAGERBRING Tom. 2, p. 763

(c) A quibus Conciones suas inchoasse Hemmingum,
testatur VASTOVIUS l. c. p. 90.

*) 6 (*

gendas Sanctorum, atque alias tales ineptias; quæ
quam parum, vel potius nihil, ad veram salutis ob-
tinendæ rationem hominibus tradendam contulerint,
quis non perspiciat (*d*)? Ipsi quoque Sacerdotes, in
tanta

(*d*) Miseræ superstitionis, ignorantia & stultitia,
quibus infelicibus his seculis Religio laborabat, docu-
menta, abunde exhibent libri plerique Theologici argu-
menti, tum editi: quorum, quotquot intra Patriam in lu-
cem prodierunt, recensum vide apud Nobil, von STIERN-
MAN *Sal omni de Lärda Wetenşkapernas tillstånd i Sve-
rige, under Hedendoms och Väswedoms tiden*, pag. 23. seqq.
ad pag. 61, (cfr. Cel. SCHEFFERUM, *Sveciae Litteratae p.
p. 6 - 18*); Præter quos, duo Tractatus Finlandiæ nostræ
debiti, Svecico idiomate exarati, in Bibliotheca Academica
servantur, diligentissimo huic Historico ignoti, e-
jusdem, ac reliqui, farinæ; uterque industriae acceptus
referendus ejusdem Fratris JOHANNIS (Jöns) BUDDE,
Monachi Nådendalensis, cui versio Svecana debetur Li-
brorum *Judith*, *Esther*, *Ruutb*, & *Macchabæorum*, in R.
Archivo Antiquitatum asservata. Sunt autem hi Tracta-
tus: 1:0 *Liber Spiritualis Gratiae*, f. Revelationum *S.
Mechtildis*, Monialis Germanicæ, e Latina in Svecicam
lingvam translatus, stultissimis somniis refertus; in quo
tamen vertendo, singulari Sanctæ ope, in somnio sibi ap-
parentis, adjutum se fuisse, bonus Monachus, jurisjurandi
etiam fide interposta, asleverat. Codex initio trun-
catus est. Adjunctum huic est 2:0 *Viridarium Sanctæ
Birgittæ*, sive Compendium quoddam Revelationum e-
jus, Svecico itidem idiomate donatum, Sancte Birgitte
gråsgarder eller Præstegarder; in fine quædam desiderantur.

* () *

tanta versati sunt ignorantia (e), ut sæpe nullam haberent Lingvæ Latinæ peritiam, adeoque e Scriptura Sacra nihil proficere possent; unde mirum vi-
der

Cujus generis hic liber sit, ex majore illo opere ejusdem Sanctæ, satis judicari potest.

(e) Ignorantia Sacerdotum, ut & miseri Religionis status, sequentes allegare liceat testes: OLAUS PETRI in Præfatione ad suam Postillam, (Lubecæ secunda vice impressam an. 1533, 4:to) de Svecis (quibus utique feliores nostrates haud fuisse, certum est) ita scribit: The haffua wel funnes, som haffua hafft lost och wilja til at öffua sich i then helga scrifft, men exter het the ické haffua hafft sådana förfarenhet i Latinesta målet som thertil haffuer bes hooff giordz, therfore haffuer rheres wilie eller upsåt hafft ingen framgong. . . Haffuer än nu ther enfold gha clerkeriet hafft the claghemadl, at texten haffuer warit them oforstandelighen, än tå at han haffuer warit utsatt på Swensko. . . Och haffuer then mening upkommet, at strax en haffuer funnet läsa och sivnga ena meso, så haffuer han warit godh nogh til at blifua Kyrkioprest, än tå at han platt intit haffuer wetat aff Gudz ord &c. Speciatim vero de Finlandia nostra PAUL. JUUSTEN in Præfat. ad Postillam suam Latinam, quæ manu exarata asservatur in Bibliotheca Academ. Ab.) Vigente, inquit, apud nos idololatriæ Papistica, sicut & in universo reliquo mundo, alebantur quidem Sacerdotes complures, quibus adjuncti erant Monachorum ordines, in singulis fere civitatibus. Horum omnium usus & officium maxime fuit, ut præscriptum Psalmorum numerum, cum aliis cantiunculis, quotidie decantarent: additis Missis, ad aras Sanctis mortuis consecratas. Erant Missæ de Beata Virgine: de Corpore Christi; de quatuor-

deri debet nemini, ipsorum conciones jejunas atque inutiles fuisse. Quod vero harum formam speciatim attinet, de ea vetat nos penuria monumentorum aliquid afferre.

§. III.

decim Auditoribus; erant etiam Missæ pro defunctis, & multæ aliæ, quarum non est numerus. Hæ saepè ab illis recitabantur, qui ipsi unam periodum Lingvæ Latine non intellexerunt. - Si lectio aliqua ex Bibliis recitanda erat, id siebat coram vulgo, lingua non intelligibili. Conciones ad populum non siebant, nisi tantum diebus dominicis & sanctorum feriis: ne autem in illis habendis plures horæ (inutiliter fortassis, prout illis videbatur) collocarentur, addebatur Epistola Dominicalis Evangelio, aut prolixa aliqua legenda de Sanctis, quasi textus Evangelii per se, jejunam aliquam doctrinam contineret. Adjungimus ei MICH. AGRICOLAM, cuius in laudata supra Præfat N. Testamenti Fennici, hæc sunt verba: Sente den ette mwotomat niustå Papeista jotca tehensachka ouat Seuracundhain halstiat olluet, toissinans wähén, ia toissinans ej miteken ihe Latinasta ole ymmertänyet, ningwin wiele nytkin (site pahembi) monet tonpelit leuten pyhes sijas istuua, nin on, qwin Guinala parateon ja armachtacon, tapachtanudh, ette he ouat sangen hei justi ia laiskasti opettanued, ia wiele tenepene heiden canshansa opettauat. Ja mwotomat taas haruoin eli eijkenens wistziuet Sar nan pale studerata, ia cansha parca opetta Ise meiden luke man, sijteke swrenmat opin cappalet. • • Nytt ettei yrikken Pappi taieka opetaia madhaisi laisfudans testelehin fille peitte, ettei hen Latinan eike Nothin kielen taidha, ia wnottais hen en opetupens wirghan &c. senteden omhi nyt Wsi Testimenti yrikke dhaisesta Textin môte wlostulkittu, ic.

§. III.

Venimus jam ad tempora, quibus Religio Christiana, commentis diu inquinata foedissimis, puriorem tandem, & se dignorem, etjam in Finlandia habitum induit. Primus qui de inveterata superstitione oppugnanda heic sategit, fuit Mag. PETRUS SERKILAX, in Schola LUTHERI eruditus; qui a. 1522 Witteberga redux, docendo in Scholis, & concionando in Ecclesia, puriorem introduxit salutis notitiam (a). Specialiora quædam de viro hoc, de Ecclesia nostra optime merito, nullibi allata invenimus. Laudandi præterea alii etjam sunt, repurgatæ doctrinæ Præcones; Mag. MICHAEL AGRICOLA, qui *Norum Testamentum, Psalmos Davidis, XII Prophetas minores, & selecta quædam alia ex Vet. Testamento Capita*, primus in Fennicum idioma transtulit (b);

B

M. PAU-

(a) Vid. P. JUUSTENI *Chronic. Episc. Aboëns.* apud Illustr. NETTELBLADT *Schwedische Bibliothek*, Erste Stück, p. 82.

(b) Aliis præterea libris, elementis fidei Christianæ instillandis idoneis, populares suos donavit: *Libello Alphabetico*, *Libro precum*, *Manuali sive Rituali & Missali* (*Handbocken och Missan*) reformato, nec non *Historia Passionis Dominice*; quod ipse indicat, in Praefat. Rhythmica ad *Psalmos Davidicos* a se Fennice versos, editosque Stockh. 1551, 4:o, ita canens:

M. PAULUS JUUSTEN, de quo mox plura; aliique,
 a B. JUUSTEN in *Chronico Episcoporum nominati
 (c)*, qui, studiis in Regionibus exteris, (ad quas be-
 neficentia Dn. MARTINI SKYTTE (d) Episc. tum
 Aboënsis, milli erant), diligenter exactis, reduces
 doctrinam Evangelicam non sine successu propaga-
 bant. Ipsa Methodus concionandi, quæ hoc tempo-
 re apud nos obtinuit, qualis fuerit, cognita LUTHE-
 RI præcipuorumque discipulorum suorum ratione,
 quod ex eadem schola huc allata fuit, facile existi-
 mare

Quin A B C Kirian ensin on,
 Sijtte aleu opista uskoon.
 Ja rucus Kirias sangen hyuen.
 Monist asioist teunens ia syuen.
 Senielken sen Udhén Testamentin,
 Herran Armosta lepize prentin,
 Käst Kirian, Mesun ia Passion,
 Sulast armost paiz meiden anson.

Cfr. MESSENIUS *Scord. Illustr. T. X. p. 25*, qui *Cate-
 chismum etiam Lutheri 1543 ab eo Fennice versum dicit*;
in annis autem indicandis aliquantum turbare videtur.

(c) Vid. loc. cit. p. 84.

(d) De quo vid. JUUSTEN loc. cit. Summas mere-
 tur laudes, propter zelum suum Reformationem gentis
 Fennicæ adjuvandi, quam non parum, supra indicato
 consilio & liberalitate, promovit. Regis iussu fecisse, &
 hoc nomine non solum Episcopales reditus integros per-
 cepisse, sed & qui ad Canonicos olim pertinuerint, nar-
 rat RHYZELIUS *Episcoposc. Sviog. L. VII. p. 344*; nescio

*) II (*

mare licet (e). Explicabatur textus simpliciter, ad-
ditis ubi locus videretur, admonitionibus exhortatio-
nibusquis brevibus: interdum pro doctrinarum præ-
cipuarum, quas präelectus textus exhiberet, ratione,
partite exponebatur: nulla certa aut artificiosa con-
cionis forma quæsita. Confirmant hanc rem Expli-
cationes Evangeliorum, quas Moscoviae anno 1570,
Episcopus Finlandensis PAULUS JUUSTEN tem-
pore captivitatis suæ, latino sermone concinnavit;
primum, unicunque ex seculo decimo sexto super-
stes, specimen Concionum, Fennos auctores agno-
scentium, quod supra jam laudavimus. Ille tamen
Exordiorum quoddam genus plerumque adhibet, qui-
bus summam Evangelii breviter exponit, & ipsam de-
inde Analysin in membra quædam vel locos, ut ipse
ait, dispergit, qui explicationem distinctiorem reddant.
In Præfatione docet, se conscripsisse illud opus, par-
tim in proprium' usum, ut qui insignem, quam scri-
ptio & diligens commentatio sacris präconibus ad-

B 2

ferret

quo teste. Aliter JUUSTEN *Cron.* (apud NETTEL-
BLADT l. c. p. 84) & MESSENIUS *Cron.* *Episcopor.*
(Stockh. 1611. 8:o) C. XII. p. 114, atque *Scand. Illustr.*
T. X. p. 24.

(e) Cfr. etjam commemorata supra OLAI PETRI
Postilla: ad eandem enim formam nostrates etjam fere con-
ciones suas adornasse, facile est ad intelligendum. Nul-
lum apud eum reperias Exordium, nullum Thema u-
num aut principale, nullam itaque *Propositionem* aut

ferret utilitatem, haud ignoraret, partim ut hoc ope-
 re popularibus suis Ecclesiarum Ministris, inserviret,
 quorum multos non satis perite in concionibus ha-
 bendis versari, animadverterat. Ipsa verba ejus ad-
 ponenda esse judicamus: *Quantum ad me ipsum atti-
 net, conscripsi hæc, ne lingua in docendo animum præ-
 curreret. Prudenter enim admonuerunt veteres: prius
 cogitandum esse quid loquaris, quam lingua prorumpat
 in verba. Prior enim cogitatio semper corrigi potest
 posteriori meliori. Et meditationes non comprehensa literis
 in longioribus Orationibus saepe fallunt, aut prolixitate
 aut brevitate: saepe etjam in medio cursu orationis, quando
 materia difficultior est, in minus exercitatis deficiunt. Sicut
 igitur alios comministros meos saepe adhortatus sum, ne im-
 parati ad explicationem rerum sacrarum suggestum
 ascendant, seque auditoribus deridendum præbeant, hinc
 inde verba. Et voces colligentes, quæ non multum faci-
 ant ad rem, sed tantum aures odiose expletent: ideoque etjam
 Deo & sanctis ejus Angelis fortassis displicant: sic ipse o-
 peram dedi, ne hujus præcepti essem immemor. Si igi-
 tur verum est, in alia quacunque profana oratione, quod
 vulgaris habet versulus: *Verbaque prævisam rem haud
 invita**

*Partitionem: sed precibus præmissis, Evangeliorum le-
 gitur brevis Analysis, Usibus item brevibus subjunctis,
 quibus ostenditur quis inde fructus & ad doctrinam &
 ad vitæ emendationem capi, quæ consolatio emanare
 possit.*

*invita sequuntur; certe opus est præmeditatione in expli-
catione rerum Theologicarum, ubi standum est velut in
conspicu Dei, & sanctorum ejus, & ubi Ecclesia admo-
neri & instrui debet de rebus omnibus gravissimis. - - -
Animadverti enim populares meos & comministros, in
concionibus habendis sape exordia ducere non satis con-
venientia ad rem, sed valde aliena, & procul accersita;
similiter & conclusiones non esse satis appositas aut con-
cinnas: his ergo meis popularibus, & cœtui scholastico,
hac mea tenui opella & quantulocunque labore inservire
& prodesse volui. Unde de concionandi arte apud
sympatriotas suos juvanda & promovenda, laudabilem
omnino curam sovisse meritissimum Praefulem, egre-
gie patet (f).*

B 3

§. IV.

(f) Quoniam in anno definiendo, quo MARTINUS SKYTT'E obiit, & noster JUUSTEN una cum MICH. AGRICOLA ad Episcopalem dignitatem electi sunt, dis-
sentient Auctores; placet hic observare, in Praefatione Postillæ, quam a. 1570 Moscuæ detentum, se scripsisse testatur JUUSTENUS, eum simul dicere jam XIX agi
annum, postquam Episcopi munus sibi concreditum fuit: qua-
re secunda manus adscripsit, eum 1551 fuisse Episco-
pum creatum. Atque idem hic annus in exemplo Chro-
nici sui Episcoporum Finl. quod MSturm servat Bibliotheca
Academica, primitus expressus fuisse videtur, quem se-
cunda manus corredit, ita ut jam 1554 exhibeat; vesti-
giis tamen prioris scripturæ remanentibus. Qui Skytt-
um anno demum 1555 obiisse narrat MESSENIUS
(Chron. Epitc. C. XII, p. 115, Scind. illustr. T. X. p.

§. VI.

Sequenti seculo primus qui Ecclesiæ Fennicæ, operibus concionatoriis typis quidem impressis, profuisse reperiatur, est D:rus ERICUS ERICI Episc. Aboënsis, cuius *Postilla sive Ulgostoinitus nijnen Evangeliumitten* påalen cuin himbäri ajastajan, saarnatan Jumalan Seuracumasa; Caicken Jumalisten ja hyväni Suomalaisten, jotca Jumalata ja hänen pyhä Sanans raeastawat, hyväri, op ri ja ojennurexi tehty ja coconpantu, prodiit Holmiæ 1621 - 1625, II. tom. 4:to. Servat hic quoque Methodum sic dictam Analyticam (*a*); quo vero ipsa forma ratioque Concionum suarum plenius cognoscatur, ipsius verba e præfatione proferre liceat, quæ latine versa sequentia

26, quem sequitur SPEGEL Sv. Kyrko-Hist. VII. B. III. C. p. 403), ac Ecclesiam trienno postmodum vacasse, mox autem adjicit inter *Agricolam & Juustenum* a. 1554, *Skyttio* adhuc vivente, Dioecesin fuisse divisam, nimis se oblitus est. Rectius igitur mortem *Skyttii* ad a. 1550 retrahit RHYZELIUS Episc. Sv. Lib. VII, p. 344. seqq & JUUSTEN in *Chronici Episc.* exemplo quod typis exprimi curavit NETTELBLADT l. c. p. 85. Utrum his, an Bibliothecæ nostræ Acad. MSS. potior sit fides habenda, harum rerum curiosis diligentius definiendum relinquimus.

(*a*) Quam, si rite adhibeatur, in plebe simplici erudienda, insigni usu haud carere, ac Synthetica multo esse

tia sunt: "In Exordio (post Evangelium scil. prae-
 " lectum, nam nullum prius Exordium, quod *Para-*
 " *sceve* vel *Introitum* vocant, apud eum invenias) i-
 " psum Argumentum quorumvis Evangeliorum ex-
 " ponitur; deinde ostenditur cum quo loco Cateche-
 " seos hoc Evangelium congruat. Ipsum postea E-
 " vangelium in duas dispescitur partes, ad sublevan-
 " dam memoriam, raro in tres. In explicando tex-
 " tu, quævis pars in certa rursus momenta tribuitur,
 " secundum ipsam textus rationem; & quodvis mo-
 " mentum paucis verbis explanatur; atque res ver-
 " baque, quæ ibi ocurrunt, ita explicantur, ut le-
 " gens vel audiens, ea mente possit assequi, scireque
 " quando & ubi ea (sc. quæ in Evangelio narran-
 " tur) facta sint. Textus interpretationem excipi-
 " unt usus practici, ab ipso textu in quavis parte e-
 " ruti, atque Scripturæ Sacrae testimoniis firma-
 " ti. - - Sunt et multis exemplis & ex Veteri & No-
 " vo Testamento, ut & ex Historiis profanis (*b*) il-
 " lustrati. " Hactenus ille. Qvamvis vero textus satis
 lucu-

faciliorem, negari nequit: quare Concionatores doctrina
 dicendique peritia & facultate minus instructi, non im-
 prudente illam potius amplectuntur. Cfr. PONTOPPI-
 DAN *Colleg. Past. Pract.* C. XV, p. 147. Ed. Svec.

(*b*) Præter testimonia Scripturæ Sacrae, haud raro
 occurunt effata Patrum Ecclesiasticorum, ut *Augustini*,
Tertulliani, *Chrysostomi*, aliorumque. Quin Scriptores
 etiam Ethnici, *Cicero*, *Aelianus*, *Plutarchus*, aliquæ, di-

luculenter plerumque explicitur, atque usus ad du-
ctum Evangelii haud male exponantur; frustra ta-
men hic exspectes Eloquentiam quandam gravem,
aut vim copiamque oratoriam; quæ & apud pleros-
que desideratur reliquos hujus seculi Oratores Sa-
cros, quorum supersunt Concionum exempla. Sunt
autem sequentia, quæ quidem haec tenus aut oculis
usurpare, aut ab aliis laudata videre, nobis licuit.
Haud dubitamus, quin diligentiam nostram multa
effugerint: quare ut illa nobis indicare velint, qui
forte aliqua possident aut repererint, docti popula-
res, reliquis ubi occasio tulerit adjicienda, peressi-
ciose rogamus. Ordinem sequimur temporis, quo
publicam adspexerunt lucem.

1. *Concio de Decem Virginibus*, Yri Christillinen
Saarna kymmenest Neidzest, Matth: 25. Selitety ja
Präntiju annetu a LAURENTIO PETRI, Aboico,
Past. Ecl. Tammela. Präntatty Turusa, Petari
Waldilda. a 1649. 4:to. Pl. 6.

2. *EJUSD. Concio de Vitanda Fornicatione*. Chri-
stillinen Saarna Huoruden Wältämisest. -- Pränt-
atty Turusa Pietari Hannunp. Acad. Typogr. an.
1656. 4:to. Pl. 4. [(c)].

3. Hir-

gni sunt visi Auctori, quorum verba interdum, illustra-
tionis caussa proferret.

(c) Docet Celeb. SCHEFFERUS *Sveciæ Literatæ*
p. 319, eum edidisse præterea Fennice;

3. *Hircus Emissarius Novi Fæderis, Se on Jesu-*
pen Christuren meidân ainean Wâliniehem, Kârsl-
misen Historia, Sen jälken cuin se on nesjâldâ E-
wangelistald kokenpandu; Ja Paston ajalla malla,
Jumalan Seurakunnas saarnattawari asetettu; Lyhy-
käses seikemâs Saarnas Selitety ab ABRAHAM
IKALENSI Theol. Studioso. Aboæ impensis Aucto-
ris. Excudebat Petrus Hansonius Acad. Typog. A.
1659. (d)

4. *Ode Consolatoria, eli Christillinen Ruumin*
Saarna Jumalisten Lohduturist, jolla he taitawat
Elämäss ja Euolemas virgotta ja wahrwista ihens.
Neuinen Jumalisen ja Cunnialisen H. Margarethan
Pavulin Tyttären hantamises, joca - - taäl vâ ajal-
lisen euoleman cautta ercani, 19 Novemb. anno 1665,
lyhykäsesi, Hämeen Kyrös, erinomaisen anomisen
jälken, Dom. I. Advent. cotona pidetty, a JOHAN-
NE GREGORII FAVORINO, Verbi D. Min. ibid.
- - Tryckt i Åbo aff Petro Hansonio. 4:to. Pl. 3 $\frac{3}{4}$ (e).

C

5. Con-

1. *Conciones in Confessionem publicam Pœnitentialem &*
in Consecrationes Gratiasque Mensales, Aboæ 1644.

2. *Conciones in Lutheri Benedictiones Matutinas &*
Vespertinas. Ib. 1644

(d) Laudat quoque Cel. SCHEFFERUS Svec. Lit. p.
 321 hujus Auctoris, Pastoris tum Ikalensis, *Concionem fu-*
nebrem in Obitum D:ni Job. Collini, ex 2. Tim. IV: 18,
exc. Aboæ 1671, 4:to; sed non indicat, utrum Svetico
an Fennico idiomate: nobis non est visa.

(e) Offendas in hac Concione, ut & omnibus fere
 sequentibus, gemina exordia; qui itaque mos ineptus

5. *Concio Synodalis de Angelis.* Christillinen Saar-na Engeleista. Jonga Turun Nuomiokircoja Pappien coconreja, 1666 vuonna jälken Jesuksen Christuren synodimisen, 19 Januarii on pitänyt LAURENTIUS PETRI Präpositus & Pastor Tammelensis. Prändäthy Turusa Johan Winterildå anno 1670. 4:to. Pl. 3:.

6. *Lineamenta Veri Christiani.* Se on vhdien oikian Christityn hengellinen hahmo ja Muoto; jonga sen Cunnialisen -- Menorin ja Matronan, nyt Herraja edesmenien H. CATHERINA HAARSSEN, Her JACOB COLLINEN, hyvinasetetum Kirkoherran sinä Cunnalises Ustelan Seuracuntas, mui-nen rackaan Vuolisoja, Cunnalises ja Christillises Hautamises, enin tapahdun Ustelan Isos Kirkosa 12 Septemb. vuonna 1680, Viertaisest edespani ja ilostoinuti JACOB FLACHSENIUS S. S. Theol. Prof. &c. Turusa Präntäissi JOHAN WALD. A. T. 4:to. Pl. 3:.

7. *Cordiale Morientium, eli Euolewaisten Ih-misten Sydänen wahmistus walmistettu, cosea saatettin lepocammioms 12 Sept. a. 1680 -- Hästitus CATHERINA HAARS, -- Her JACOB DE LANGEEN, -- racas Vuoliso. Ja anontien ja-keen tälle Matrona wainaalle cunnalisesi Jälki mu-tori*

circa medium seculi præterlapsi, imitatione Germano-rum, apud nostros invaluisse videtur.

stori Präntin annettu, a CHRISTIANO PRO CO-
PÆO Past. Loim. TURUSA, Pränttäis Johan
Winteri, Kuning:nen Bookt. Sunres Nuhtinan
Mansu Suomes, Wuona 1681. 4:o. Pl. 3.

8. Portio Præpollens Primogenitorum. Se on
Eiscoisten Edustos osa. Christillises Ruumin Saar-
nas eosea se . . pisen Pilti ja racas Lappi war-
naja, JOHANNES GEZELIUS, joca lihal-
lisest tahan ajalliseen, sinä 1 Junii, ja hengellisest
syhien ihaneaickiseen, sinä 5 hujus, Elämähän syvyyis
uijn myös cohta Sielun puolest, sinä 12 eiusdem,
euoltuans sinne sijerryi. Ja jonga wähä riummis, -- S.
Marian Kirkon Sacristohon, Lepocammiohons, Maa-
han pandim, sinä 17 Julii anno 1681, joca langeis sen
seiheminen Sunnundain päässe, jalken P. Colminai-
suden, - - lyhytäisest ja vrikertaisest voottu ja edes-
tuotu: a NICOLAO M. HAMMAR Verbi Div.
Min. ibid. Pränttäis Turusa Johan Winter Cuning.
Booktr. Wuona 1683. 4:o. Pl. 3. (præter Progr. ex-
seqv. & Epitaph. Pl. 1.).

9. Christillinen Ruumin Sarna, silloin cutu-
musinen, Jumalinen, ja Cunniallinen Matrona, - - -
VIRTA MATTHYAXEN TYTÄR HERMI-
GENA - Her MICHAEL HEINTZUXXEN, ur-
holisen ja hyvästi ansainen Kirkon Herran, racas
Vuoliso, Savitaipalen Seuracunas; Cunniallisest
handattin Savitaipalen Kirkosa, Pyhan Colminai-
suden Sunnuntain pääwan päässe, jeea langeissi sen
15 Päivän päälle Kesiä Cunsa, wuona jalken Chri-
C 2 sturen

sturen Syndymän, 1690, Videlty PETRUS BÄR-GZEÐÅ, P. R. Doct. ja Dispälda. Wiburis Präntäth Daniel Medelplanilda, Gymn. Präntärildå. 4:o.

10. Bonus Episcopus, Se on, Uscollinen ja hyvä Jumalan Huonen Haldia, edespandu yrker-taisesa Saarnasa, Turun Duomio-Kircosa, esca... Doct. JOHAN GEZELIUS Turun Hiippacun-nan Corkiast ylistetty, ja cuulluinen ylumäinen Pappi, Pispa, ja Academian Procancellarius handattin, - a CHRISTIANO P. PROCOPOEIO Pastore Loimjokieni, 24 Junii anno 1690. Prändäth Taru-sa, JÖHAN WINTERJEDÅ. Cuningal. Präntä-jäldå. 4:o. Pl. 10.

II. Efficacissimum Solatium Parturientis in vita & morte. Se on Synnyttäjän, eli Synnyt-tämisen kipua ja waiwa kariswaisen, Lohdutus Elämässä ja Euolemassa: Neutnen Cunnialisen Matronan, CATHARINA BÄRKIN, - Her HENRICH MALLEIN, Urdialan Seuracummas, nynnä hänen raeckan Lapsens ja wähän Poicaisens, BENJAMIN MALLEIN, Chri-stillises hautamises Urdialan Kircos anno 1698 den 6 November: Sanottu ja selitetty a JOSEPHO KOLCKENIO Sacellano in Acha. Prändäth Tu-rusa JÖHAN WINTERJEDÅ, Cuningal. Präntä-jäldå. 4:o. Pl. 3⁴. (præter Dedic. & Epitaph. 1) (f).

Metho-

(f) Præter allatas Conciones, superiori seculo sequen-

Methodus omnibus hisce Auctori bus ob servata,
una fere eademque est. In universum materias liben-
tius pertractatas videoas Theoreticas s. Dogmaticas,
quam Practicas, & ad docendum quam animos pîe-
C 3 tatis

tes etiam Fennice editas esse reperiimus, sed quas nobis
aut plane non contigit videre, aut quarum lacera tan-
tum fragmina comparare potuimus.

1. ISAACI ROTHOVII Epit. Aboensi. *Conciones Sa-
cræ XX in Threnos Hieremiacæ*. Prodierunt hæ Concio-
nes Svetice, sub titulo: *Then Christeligha Låran om een
sanskyllig Boot och båttring, och om en saligh beredelse til
vår Kåre Herres och Frälsares Jesu Christi tilkommelse,
hwilken wij dageligen i troone förvänte*. Uthaff Hjeremiæ
Klago Wijfor i tjugo Predikanter författar, och i Åbo
Domkyrko håldne aff Isaaco Bergeri Rothovio, Episcopo
Aboensi, Aboæ 1645, 8:o minori; quo vero anno Fennice
impressæ sint, dicere non valemus; nam fragmentum
quod vidimus, quodque possidet D:nus Præses, & initio
& fine caret; neque aut a Cel. SCHEFFERO Svec. Lit.
neque a Nobil. v. SJERNMAN Bibl. Sviogoth. vel Ab.
Lit. hujus versionis fit mentio, quamvis editionem Sve-
canam adferant.

2. THOMÆ RAJALENII Past. Tyrvensis, *Concio-
nes in Evangelia Feriæ secundæ & tertiæ rogationum*. I-
tem Due *Conciones de Sacra Cæsa*, una de *Passione Christi*
atque una de *Ejusdem sepultura*. Aboæ 1654. 4:o (Ctr.
SCHEFFERUS l. c. p. 320.) Neque harum nisi fragmen-
tum lacerum videre nobis contigit.

3. GEORGII ALANI Prof. Theol. Primarii & Archi-
Præp. Aboensis *Concionem Synodalem de Angelis* 1668 4:o

tatis ac virtutis sensu inflammandos, magis esse comparatas. Id tamen in laudem nostrorum, observatu dignum videtur, eos contagionem, quæ concionatores Anglos & Germanos, superiori seculo infectit, ut scil. conciones suas sic dictis realiis ornare studerent, seu verius deformare, (de qua stultitia cfr. MÖLLER om et Rätt Predikofärt, p. 110, III, 253. sqq.), sedulo evitasse.

§. V.

laudat SCHEFFERUS I. c. p. 319. An eadem quam supra p. 18 indicavimus?

4. AND. SIM. KEXLERI *Concio ex Matth. XX: 23. in obitum Job. Melartopæi Ab. 1679. 4:o. v. STJERNMAN Ab. Lit. p. 108.*

5. JOH. GEZELII Sen. Episc. Ab. *Concio Funebris ex Job. III: 16. Ab. 1681. 4:o. Id. p. 76.*

6. EJUSD. *Concio Funebris ex Apoc. XIV. 15. 1683. 4:o. Id. l. c.*

7. M. JOHANNIS (THURONIS F.) WÅNERI (L THURONII) *Militis Christiani Triumphus, ex 2 Timothi IV: 7, 8. Conc. Funebr. in Magnum Wallatum Pastorem in Messuby. Ab. 1689. 4:o. Id. pag. 51.*

